CLARIS. VIR,. CHRIST. FORSTNERI EPISTOLA SIVE JUDICIUM, DE...

Christoph Forstner

Clariſ. Viri,

CHRIST. FORSTNERI

Epiſtola ſive Judicium,

De

MODERNO

Imperii Statu

Item:

CARD. RICHELIEU

Teſtamentum

Chriſtianum & Politicum.

Ut &,

CHRISTINÆ REGINÆ

Valedictio Upſaliæ

dicta.

FREISTADII,

1670.

Sereniſsime

Princeps ac Domine,

Domine Clementiſsime.

Literæ Serenitatis Tuæ 10. Junii ſcriptę, quas Sereniſsimo Ulrico Wirtembergiæ Duci tradideras, tardiuſculè mihi redditæ fuerunt, quæ, uti ob gratiæ & benevolentiæ erga me Tuæ conteſtationem tuam prolixam, tam ſeriam, tamque inuſitatam, mihi meritò gratiſſimæ fuere; Ita ad te ſcribendi de Republica Teçq́; (hæc enim E-piſtolæ verba ſunt) ſalubribus

consiliis instruendi, necessitas mihi imposita, valde me dubium perplexumq; habuit. Quid enim? Ego ista ingenii tenuitate tam angusta rei literariæ supellectili instructus tam mediocribus rerum experimentis edoctus ad te scribam Principem tanta judicii acrimonia, tot excellentibus in eruditione & rerum usu viris, qui Serenitati Tuæ à Consiliis sunt circumdatum? Quod in silerem, apud quosdã in inscitiæ Confessionem, apud alios in arrogantiæ argumentũ silentium meum trahendum, apud omnes irreverentiæ & neglecti officii accusatum me iri prævidebam. Prævaluit Serenissime Princeps mandatorum tuorum veneratio & obsequii
tibi

tibi debiti ratio: malui'q; famæ
& existimationis meæ pericu-
lum subire, quàm inobedientiæ
crimen incurrere. Et quando
nemo salvus esse potest, priva-
tim ruente Republica & ejus-
dem navis vectores, idem naufra-
gii periculum comprehendit, &
privata cujusque salus publica
continetur, rem paulò altius ex-
orsus, nonque ad te solùm Sere-
niss. Princeps tuosq; populos,
sed &, quæ ad totius Germaniæ
incolumitatem pertinet, mala q;
nostra & eorum remedia quàm
brevissime potero, aduotabo.
Concordiâ res parvas crescere,
discordiâ magnas dilabi, non-
minus vera quàm antiqua &
omnium temporum experimē-

tis comprobata ſententia eſt, magnæ ſunt Sereniſſime Princeps & ſplendidæ Germaniæ noſtræ res, ingens potentia & invictum robur, cui rei comprobandæ non domeſticis atque ideò ſuſpectis, ſed præter omnium nationum conſenſum unius Petri Victorii Itali Teſtimonio nunc utar, qui in oratione quam in obitu Maximiliani Secundi habuit, non ſemel ab harum rerum curioſis obſervatum affirmat, uno tempore bis centum millia Germanorum diverſis Principibus extra patriam militaſſe, nullis domi ſolitudinis aut imminutæ frequentiæ veſtigiis comparentibus. Ipſi meminimus ſuperiori bello Germanico Joh. Georgium Sa-

xo-

xoniæ Electorem triginta, & Anno 1655. Brandenburgicum supra quadraginta millia sub signis habuisse. Anno 1631. exauctorato Fridlandio Cæsar quadraginta millia, & Ligistæ maxima copiarum parte dimissa, quadraginta Equitum Turmas & viginti septem millia peditum retinuere. Suecos superiori anno non tam Cæsaris minæ, neç inania fœderum simulacra, quàm solorum armorum Brunsuicensium terror Bremæ obsidio depulit, & cunctis indomita Suecorū ferocia Brunsuicensium virtuti cessit. Quæ cum ita sint, miramur non immeritò, quid causæ sit, quæ externis lacessendi Germanos

audaciam & his ſæpe ferendarum injuriarum neceſſitatem afferat? Avorum memoria Carol. V. Imperator, modicis copiis contra Saxonis & Haſſi fœderatorumq́ ingentem exercitum victor ipſe ducibus captis, Germaniæ domitor audire voluit. Cujus veſtigiis poſtea inſiſtens Ferdinandus II. Quantum abfuit, quin Germaniam ſub jugum mitteret! Cum Anno Chriſti 1598. Franciſcus Mendoza Hiſpanicarum copiarum Ductor, Weſtphaliam Hoſpitiis militum, exactionibus procerum, cæde & omni ſævitia affligeret, cum ſuperioribus annis Spinula proximè adſidentibus & inſpectantibus Unioniſtis Palatinatum occuparet, cum noſtra quoque memo-

ria Condæus tunc Hispanis militans, Electoris Coloniensis ditiones maximè Lædienses persultaret, cùm paulò post Fangius paucorum Lotharingicorum, Latrunculorum potius quàm militum ductor, totum propè Rheni tractum ad extimam hanc nostram Germaniæ cuspidem emensus esset, quid aliud, quam inanes querelas & inutiles ac nihil apud armatos valituros libellos & vanas minas opposuimus? Non est laboriosa inquisitione opus, dum singuli carpimur, universi nullas injurias, nulla damna communia reputamus, dum singuli pugnamus, universi vincimur, dum discordes agimus, nos

invicem implacabilibus odiis dilaniantes ludibrio & contemtui omnib⁹ sumus, quibus terrori esse poteramus. Quod si porrò quæro, unde ista animorum distractio, unde tot lites, & litium nullum remedium, bella? Dicam equidem, duas præcipuè fatalis hujus dissidii causas mihi videri, quarum prima concordiam, tam vasti corporis membrorum inter se, altera membrorum cum capite turbat. Prior illa originem ex ipsa Reipublicæ forma ducit, quæ sub uno quamvis capite in varios tamen Principes & populos & civitates liberrimo Imperio in cives & subditos utentes, divisa est, unde vix fieri potest, ut

in-

inter tot supremas Potestates in tanta libertate agentes, non frequentissimæ jurgiorum & controversiarum materiæ, & postquam judiciis & judicibus fasces submittere indecorum & plebejum videtur, bellorum occasiones subnascuntur. Limitanei oppidi immunitio vel cujusq; novi operis nemini nocitura constructio, lapis terminalis ambigue positus, cervus aut aper in alieno captus, mediastinus ab alio alapa aut pugno tusus, conducendi per alienum territorium jus & similia componi facilia in bellum usq; coalescant, odiorum ex ista licentia magis quam libertate pullulantium frequẽtiam diversæ de Deo & reli-

ferre legibus publicis jubeantur, tamen nulla unquam sanctione ista dissidentium acerbitas, & inde nata odia sopiri potuere, neq; minus qui Calvininiani audiunt cum Lutheranis & hi inter se, quàm utrique cum Pontificiis dissentiunt, inde fœdus Schmalcaldicum, & ex eo prognatum bellum inde Aquisgrani & Donavertæ proscriptiones, inde infausta unionis & ligæ nomina, inde Bohemorum motus, & tota Europa in partes adscita, & nuperrimè inter Wirtembergiæ Ducem & Marchionem Badensem, atque Moguntinum inter & Palatinum Electores unius Ministri causę exorta dissidia; Altera quę mēbra imperij

Germanici cum capite committit, causa est, quod haud facile libertas & domini miscentur, cum uni simpliciter cæteri parent, aut soli optimates, aut sine arbitrio populus gubernat, quia summis plerumq; difficultatibus implicatus est, ab uno Reipublicæ genere in aliud transitus pacem & concordiam veteremq; Reipublicæ statum retinere, usq; adeò difficile non est, ast. ubi Principis potestas Aristocraticis aut Democraticis rationibus temperata, & Majestatis jura cum Principe alii quoque tenent, utrinque ad se trahere, Reipublicæ summam & authoritatem publicam solent, detecta enim ex pluribus & constituta

tuta Reipublicæ forma laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest, altera partium perpetuò affectat sine modo Dominationem, altera sine fine libertatē, donec cuncta discordiis civilibus fessa, alterutra sub imperium sola accipiat.

Majores nostri nunquam nō honestum odiorum occasum rati, utriq; Reipublicæ nostræ vitio remedia adhibuere priori fixum Spiræ tribunal & tres Cōstitutiones de pace publica, de pace religionis, & de modo exequendi res judiciales, alteri legem, quæ Cæsari imperium auspicanti præscribitur, vel si mavis conventionem, quæ Cæsar promittit nullum sibi suæve familiæ

miliæ unquam jus hæreditarium in imperium arrogaturum, neq; quidquam unquam contra Electionis & Electorum libertatem ac prærogativas attentaturum, nulli cuiquam facturum bellum, nullum externum militem in Germaniam ducturum, nulla indicturum tributa, nulla facturum fœdera, nullum imperii Principem sua sententia proscripturum sine cæterorum saltem Electorum assensu, sed validior hujusque morbus fuit, quam ut istis remediis cederet; nulla legum aut judiciorum apud plerosque reverentia, quæ vi, ambitu, pecunia haud raro turbantur, non jam Spiram aut Viennam itur, aut sique ibi causæ disceptantur liti

litigantium artibus advocatorum avaritia & superstitiosa captiosaque litigantis scientia non nisi post decursa secula finiuntur, postremò sententiæ quoque, si quæ feruntur victæ partis potentia elusæ sine executione manent. Vis & arma promptior expediendarum litium ratio habetur, causa Iuliacensis nisi armis & utrinque armatis advocatis Hispanis & Batavis decidi non potuit. Controversiæ Cassellensi & Darmbstattensi Cæsar, Sueci, Galli patrocinum præbuere, Episcopus Monasteriensis in lite, quæ ipsi cum civitate sua intercedebat, nulla Cæsaris, nulla juris & judicii habita ratione, ipse sibi jus dixit, quæ nuper Electori Palatino cum Moguntino & sociis

de quodam mancipatus & servitutis genere & aliis quibusdã capitibus lis intercessit, primo armis disceptata, postea tanquã nulli in Germania aut arbitri aut judices essent exterorũ arbitrio finita fuit. Controversię quæ Electori Colonię cum civitate Agrippinensi, Daniæ Regi cum Hamburgensibus, tuæ, Serenissime Princeps, domui cum civitate Brunsüicensi, Ostfrisiæ Principi cum Emdanis intercedunt & aliæ complures, neq; judicio hacten⁹ neq; compositione sopiri potuerunt, & fortasse novarum aliquando turbarum semina erunt. Jam ut de altero malorum nostrorum remedio Capitulatione, uti vocant, Cæsarea, pauca dicam, quis nescit palàm ludibrio haberi? An-

An non Carolus V. & Ferdinandus II. Imperium Germanicum suæ domus hæreditatem facere attentarũt? Non Hispano, Italo, Vallonico & Cosacco milite usui ad opprimendam Germaniæ libertatem? non tributa imposuerunt stativa, hyberna pro lubitu? non Principes proscripserunt? non oppida, castra, provincias melioribus adempta suis donaverũt?

Ipse Sacratiss. noster Leopoldus, non eo ipso tempore, quo de illius electione Francofurti agebatur, cum Daniæ Rege & Electore Brandenburgico, nemine ex Imperii Principibus consulto, & ipso Auers
pergio dissuadente, bellum Suecis intulit? Non in hunc usq; diem de per-

perpetuâ Capitulationis formulâ deliberationes toties cœptæ, toties remissæ, toties resumptæ, interjectis studiosè aliis minus necessariis, de monetis, de legibus sumptuariis, de duellis, disceptationibus, ad exitum perduci non potuere? Neque fortasse spe suâ frustrabuntur, qui de justo pomis & oleribus pretio statuendo in Senatu Ratisbonæ relationem expectant Quid ergò? postquam prima nō provenere, nulla præterea remedia malis nostris admovenda sunt? & consilia, quibus impares videmur, fatis permittenda? Ante omnia illud monendum est, eum nihil unquam consiliorum humanorum prosperè succedat, nisi gratia DEI adspiret, ipseque in se non in nostris consiliis spem omnem

reponi velit, primam ac præcipuam noſtram curam eſſe debere, ut propitio Numinis utamur. Quod ſi fieri nequit, niſi ſummi pariter & infimi vitam & actiones ſuas omnes ad legũ divinarũ præſcriptum dirigant, pravè acta & contra ſummi DEI Majeſtatem commiſſa ſeriis lacrymis deplorent, vitamque emendent. Qui in re cum cæteris, qui ſacris præſunt, præire, viamque monſtrare debeant; ſummâ curâ Principes providere decet, ut Eccleſiis miniſtri præficiantur, non tàm docti, quàm pij, non tàm pugnandi de controverſis articulis periti, quàm regulam Chriſti edocti, eamq; ſuâ converſatione exprimentes: Qualis apud vos antehac Johannes Arndius fuit; quem non ſolum in Duca-

riora tantum, homicidia furta &
& quæ alia societatem homi iu
& tranquillitatem publicam ℓ.
dunt, sed præcipuè idololatria,
Magicę artes, blasphemiæ, Sab-
bathi profanatio & cætera, quæ
in cõtumeliam Dei directè ten-
dunt, fortissimè vindicãda sunt.
Nihil enim impium magis, ma-
gisq; profanũ dici potuit, quàm
quod Tiberius olim dixit: Deo-
rũ injurias Dijs curæ esse: quasi
nihil ad homines pertineret,
Deum lædi. Sed hæc monenda
inculcandaq; Theologis relin-
linquens, ad civilis sapientiæ
præscripta pergo.

Quicquid alii judicent, & vel
capiti vel pedibus, cæterisque
membris Imperii nostri mederi
volent, recentissimum quodq;
vul-

vulnus paventes, summi discriminis incuriosi: Ego tamen cordi molles manus, & mollia fomenta admovenda, hoc est, ut sine ænigmate loquar, extirpandas dissidiorum causas, & conciliandos animos ante omnia necessarium arbitror. Hoc nisi fiat, frustra reliquis partibus medebimur. Lis ex lite, bellum ex bello pullulabit, & tandem præda erimus, vel externæ potentiæ, vel domesticæ ambitioni. Ex diverso, cum seria & sincera fide concordia sancietur, cum in commune non consulemus tantum, sed vires quoque nostras conjugabimus, neutram ipsarum pestium timebimus. Nemo audebit libertatem nostram vel per vim con-

conſtruprare, vel ambitioſis artibus attentare. Redibit juris & qui amor, & judiciis vigor, & legibus reverentia, & cunctis ſecuritas: adeoque neque Gallorum, neque Suecorum aliorumve auxiliis non minus intutis, quam caris indigebimus. Amicos habebimus & vicinos, non ſocios & commilitones, niſi fortè contra Ottomannidas. Ut igitur propiùs rem aggrediar, oſtendere initiò oportet, poſſe noſtris Principibus redire bonam mentem, & concordiæ ſtudium, atque diſpelli ſuſpicionum nebulas & exſtirpari odiorum ſemina. Ipſa temporum noſtrorum mutatio, alium hominibus animorum habitum infudiſſe, viamque ad

restituere Sacerdotibus & Monachis sacra bona jubebantur, exasperati, & per Fridlandicorum temporum concussiones, rapinas, proscriptiones, atque omne injuriarum genus, ult'mâ calamitatum rabie efferati, ipsi quoq; manibus pedibus euntes in sententiam imperiosæ necessitatis, Suecos ac dein Gallos in causæ suę subsidium accersiverunt. Ac profectò Ferdinandus Imperator ista religionis occasione ac prętextu prudenter usus, parum absuit, quin universæ Germaniæ, nullo religionis discrimine, æternæ servitutis cōpedes injiceret. At, post quàm pace, quam dixi, Westphalica possessio bonorum Ecclesiasticorum Protestantibus in futurum asserta & Ro-

mano-Catholicis reliqua quoque amittendi metus demptus, atque suspicandi timendique utrinque causæ excisæ sunt; nullam his ultra Austriacis adhærendi necessitatem, sed utrosque communi bono & libertati custodiendæ intentiores futuros, credere par est: Cujus inclinationis non obscurum indicium præbuit Leopoldi Imperatoris electio, tot difficultatibus implexa, tot remoris dilata, tam deniq; dubio diu eventu suspensa, qualis à Caroli V. temporibus nulla fuit. Hoc itaque modo cum res nostræ à pacificatione Westphalicâ constitutæ sint, ut modò velimus, concordibus esse liceat. In id initiò incumbendum erit, ut

quæ

quæ deliberationibus publicis plerumque obstant, de prærogativis in Comitiis sedendi, dicendæque sententiæ, controversiæ amoveantur. Omnia actorum Comitialiū Volumina plena sunt istiusmodi contētionibus;& quamvis à centum, & quod excedit, annis Imperatores vel judicio decidere, vel tractatu componere eas permittant, tamen pleræque in hunc usque diem restant: haud frustrà multis suspectantibus, Viennensis aulæ artibus foveri, inter Protestantes maximè, infirmandis partibus & minuendo suffragiorum numero, unde observatum est 5. Aprilis in Comitiis anni 1653. quatuor supra viginti Protestantium suffragia

defuisse, qui contumeliæ vitandæ domi se continentes senatu abstiterant: abripuerat quidem Consilium Imperiale Viennense (der Reichshoffrath) de isto controversiarum genere cognoscendi potestatem; sed illi à Principibus validè contradictum fuit. Inde consultissimum expedientissimumque videtur, vel officiis amicorum communium, vel arbitrio ista componi. Annotatum etiam reperio Anno 1608. in aula Dresdensi non absurdum visum fuisse, sorti rem committere, ad tempus saltem, & dum de republicæ salute agitur, seponi, nullo partium præjudicio indifferenter haberi æquum est. Amoto isto,

isto quod dixi, boni publici obstaculo ad speciales Principum inter se lites, quæ non ipsos tantum, quorum res agitur, sed & vicinos & omnem cognatum sanguinẽ in partes trahere solent, deveniendũ est. Erat paulò ante, nec adhuc dũ planè composita inter Electorem Brandenburgium & Palatinum Neoburgensem de successione Juliacensi controversia. Intercedebat alia Electori Palatino, cum gentili Simmerensi, gliscit adhuc sub cineribus illa, quæ inter Saxoniæ Domus Principes, Vinariensem & Altenburg. in judicio pendet, & plures aliæ, quarum aliquot superiore Epistola quoque memoravi. Quibus addendus

perpetuus Daniæ & Sueciæ Regum æmulatus, non Protestantium modò causæ, sed toti in universum Germaniæ libertati perniciosissimus: quem præcaveri tollique profectò omnium interest. Nunquam firma in Imperio Pax coalescet, nisi adeo periculosæ disceptationes aut rei judicatæ authoritate, aut placidâ compositione terminentur. Quod nisi fiat, semper ad arma provocabitur, nec deerunt exteri, qui ex suo usu oleum Camino affundere volent. Quod si neque amicorum operâ sopiri, neque delectorum arbitrorum sententiâ finiri lites poterunt, omninò ad judicem eundem erit. Sunt sanè Cæsaris & Ordinum

nium authoritate duo tribunalia constituta, Spirense & Viennense. Sed Protestantes iniquiora sibi sæpius conquesti, ex utraque religione pari numero Assessores postulaverunt. Quod quamvis Osnabrugæ promissum, hactenus effectu caruit, & manent veteres querelæ. Et in universum communis omnium vox est, nullas aut paucas res judicatas executioni mandari, neque ullum ex Lege, quæ olim eâ de re lata est, (die Executions-Ordnung) auxilium. Æquum profectò est, *religionis* istam Constitutionem servari, veruntamen & illud certum est, privatorum potius, quàm Principum litibus accommodari. Igitur cum de Princi-

 pum

pum vita, fama, bonisque publicandis agitur, jam eo ab omnibus itum est, ut nisi in Comitiis Imperii, adsidentib. Cæsari reliquis Principibus, jus dici nequeat. Quid si inter duos Principes de Ducatu, Comitatu, Dynastia, Civitate, arce alia? maximi momenti quæstio qua Vocentur sane in jus Spiram aut viennã, litem ibi contestentur, jura utrinque sua deducant, probationes recipiantur, lis denique uti hactenus solitum, tota instruatur. Sed ex Cæsaris & ordinum consultorum nomine optandum esset, ut lis, eo quo dictum est modo, instructa ad prima, quæ proscribentur, Comitia transmittatur, ut illic à Cæsare & Principibus

bus ſententia feratur; hac tamen cautione ſervandâ, ut cum inter diverſæ religionis Proceres diſputabitur, æquali ex utroq; numero delecti Judices conſentientibus partibus dentur. Quæ res veteri Germanorum inſtituto conveniret, quo Taciti teſtimonio, accuſare & diſcrimen Capitis intendere apud Concilium, gentis mos erat, & cum citerioribus temporibus ejuſmodi momenti cauſæ in Comitiis, quæ tunc Curiæ & Placita dicebantur, deciderentur. Supereſt aliud diſſentiendi genus eo perículoſius, quo ſecretius, & manente in ſpeciem amicitiâ, arcano æmulatu, animos diſſociat. Moris eſt

Principibus alienæ libertati insidiantibus, proceres honoribus extollere, & beneficiis devincire, ut illorum vel operâ vel conniventiâ reliquam populi partem opprimant, & his amotis, cæteris quoque jugum imponant. In quem sensum veteribus quoque notatum est, populi imperium juxtà libertatem, paucorum dominationem regiæ libidini propiorem esse, quâ arte hodiè in Poloniâ & Ungariâ Reges invalescunt. Eâdem doctrinâ imbuti Imperatores nostri, quia tot vi simul corripere intutum, occultiori viâ Electores sibi obligare solent, instrumentum servitutis cæteris & postremò sibi futuros. Neque verbis tantùm adblan-

blandiri, columnas Imperii, nobilissima sui corporis membra, intimi consilii Proceres appellando, & quæ his similia sunt ambitionis fomenta, sed & factis obligare & favore prosequi quotiescunque opus est. Ita Moguntino devinciendo Kizinga, oppidumque cum adjacente ditione, Pragæ, non vocatis neque auditis Brandenburgicis, Culmbacensibus & Onolzbacensib possessoribus adempta fuit. Trevirensi permissum opulentissimum S. Maximini cœnobium invadere: Et quod in Philippo Henrico prædecessore crimen, huic non impunitum modò, sed legitimum fas jusque fuit. Bavarus recenti collatæ Patri Electoriæ

lignitatis beneficio adhuc obstrictus tenetur. Palatinum sustentatæ defensæque in superioribus Comitiis contra Simmerensem partes obligavêre. Retinent adhuc Electorem Brandenburgicum spe totius Pomeraniæ aliquando in ipsũ transferendæ, & in universũ arrogantiam fastumque Electorum erga cœteros servent, quo illis insociabiles redditi nihil in commune consulere queant. Cujusmodi sunt, quod Electorum Legati Excellentiæ nomine à cæteris, & honore affici affectent. Et ipsi Electores reliquorum Principum Legatos, nisi recto capite audire recusant: Ipsi quoque solis sibi, exclusis cæteris præscribendæ dictandæque Capitulationis, ac eligendi superstite Imperatore, Regis Romani jus esse prætendunt. Brema ob litem

cum

cum Antonio Guntero Oldenburgico nuper defuncto, ab Imperatore, cum solorum Electorum consilio proscripta fuit: & plurimis generaliter experimentis constitit, in rebus arduis, quarum deliberatio ad universos spectat, solos Electores ab Imperatore plerumque sententiam rogari, quibus artibus dissidiorum semina jacta sunt, quæ mutuam benevolentiam solvunt, omnemque inter se consilia conferendi, Reip. & communi libertati utilia occasionem impediunt. Vicissim Electores Cæsari tot nominibus devoti suffragia sua non utilitati publicæ, sed Domus Austriacæ commodis attemperare solent. Fateor, Serenissime Princeps, difficillimum ac propè impossibile videri, tàm pestiferi sideris afflatum adeò profundè visceribus insidentem depellere, neque enim aut Electores hactenus usurpatis cedere, aut cæteri tantam dignitatis suæ depressionem ferre volent. Ergo propitioribus temporum articulis, rem reservari

vari necesse est, Quæ hodiè ardua videntur, tempore plerumque conficit. Poterit accidere, ut Imperator diuturnitate Imperii, & longâ servitii patientiâ dominationem audeat in ipsos Electores, præruptam, urgentem & nullis legibus coercitam: possunt inter hos & illum contentiones, simultates, offensæ accendi, quales nuper fuere cum Moguntino, cum Coloniensi & defuncto Trevirensi. Quâ occasione fieri poterit, ut oculos aperiant Electores, tensaque omnium libertati retia, nullisque parcituros laqueos videant, eosque cum cæteris, vel caute evitare, vel vi perrumpere, tandem in animum inducant. Addenda forent quædam magis specialia de Regiæ Legis sive Capitulationis constanti ac perpetuâ formâ, deque frequentiâ Comitiorum, utraque invisa dominantibus & exosa, sed fidissima libertatis custodia. Inquirendum prætereà foret exactius; sitne ex usu totius Imperii perpetuum etiam in pace

mili-

militem alere ; quod alii promptissimum adversus externum hostem præsidium, & internos motus remedium, alij superfluis nec necessariis impensis grave, etiam libertati ac saluti publicæ intutū noxiumque arbitrantur. Sed sunt ista profundioris meditationis, & majoris otij, quam nunc fruor. Illud tamen præterire non oportet, occultis hactenus Suecorum finibus, & suspensis omnium, quo eruptura sint secreta illorum abditaque consilia, animis, & accenso nuper in Belgio inter Gallos & Hispanos bello, invigilandum esse vicinis Principibus, ne & ipsi tanto incendio corripiantur. Neque sanè ad securitatem modo & tutelam, sed & ad famam pertinet, inter utrinque armatos armatum esse, arma, pecuniam, militem, Tribunos & Centuriones non novitios, sed bellorū veteres, & militari gloriâ celebratos in promptu habere. Cum illis, quos idem metus urget, in commune deliberare, fœdera pange-

re,

ta, in nullius tamen offensa, sed propriæ tutelæ. Qua prudentiæ laude, quanto totius propè Europæ applausu, Serenissimæ nuper Tuæ familiæ Principes in negotio Bremensi se gesserint, notius est, quàm ut hic dici debeat, dum pacis pararios se exhibent, dum æquissimas utrique conditiones suadent, & quod omni Oratoriâ efficacius est, dum florentissimum ex propinquo exercitum suum ostentant, Suecos semper flecti nescios votorum suorum modestiam docuere. Exploratum est, illis non mandata Cæsaris, non Hollandorum minas, non dubiam Electoris Brandenburgici fidem veritos, sed exercitus Brunsuicensis metu, obsidione civitatis abscessisse. Neque verum est, quod à quibusdam rerum imperitis, Brunsuicenses alienæ litis, neque justè neque prudenter ingessisse se jactabatur. Non enim tàm Bremensium, quàm suam & totius Saxoniæ rem egisse dicendi sunt: postquam, ne Succi Germaniâ pellan-

tur,

tur, Proteſtantium quidem, at ne majoribus inſoleſcant incrementis, omnium Germanorum intereſt. Forſan ex his, quæ dixi etiam ad illud problema reſponderi poterit, de quo hodiè & Ratisbonæ, & in aulis Principum quæritur, oporteatne Germanos bello Belgico miſceri? Aliis Burgundiam Imperii Circulum & ſub ejus protectione, Principum ergà Cæſarem officium, invaleſcentem & mox gravem toti Germaniæ futuram Galliæ Regis potentiam jactantibus: in contrarium aliis diſſerentibus: Tranſactioni, uti vocant, Burgundiæ à Carolo V. extortæ, multos contradixiſſe: Monaſterienſis pacificationis primo capite caveri, ne poſtquam bellum Hiſpaniæ inter & Galliæ Reges recruduerit, Imperii nomine Hiſpani milite, annonâ, tranſitu, hoſpitiis juventur. Non de Germanici Imperatoris, ſed de Hiſpaniæ Regis Provinciis, aut dotalibus uxoris Cæſareæ agris certamen eſſe. Quod ſi Galliæ Regis potentia

tentia suspecta esse Germanis debeat, non minus Austriacorum magnitudinem minui, Germaniæ interesse. Non equidem dubito, Serenissime Princeps, quin, prout cuique amor & odium in partes, aut spes ex bello haud pauci illi ne ex duobus Regibus aut profectò Cæsari nostro copias auxiliares adducturi sint, quos consilii sui rationes habere facile credo, sed ad Tuum, Domine, judicium provoco, annon tutius simul ac honestius, securius ac decentius sit, veterum paucorum Tuorum vicinorum exemplo magnitudinem suam justitiâ tueri, sine impotentiâ, sine cupiditate: quietum secretumque nulla provocare bella, nullis raptibus aut latrociniis populari, prompta tamen arma habere, ac si res poscat, exercitus: Ergo utramque belligerantium partem æqualem se præbere: arma, annonam, transitum, vel utrique pretio concedere, vel utrique negare. Offensas, quan-

tum

tum fieri poterit, prudenter evitare: Illatam ab alterutro vim ſuis & ſociorum armis, ac ubi extrema neceſſitas ingrueret, accitis alterius auxiliis fortiter repellere. Quomodo Sereniſſimus Saxoniæ Elector, ſuperiori bello Germanico, cum ſe hactenus neutris addixiſſet, à Tillio ἀδιαφορίαν omittere, Cæſareasque partes palam profiteri juſſus, Guſtavi Regis ſubſidium implorare coactus, arrogantia Tillii imperia excuſſit. Hæc ſunt, Sereniſſime Dux, Domine clementiſſime, quæ inter tenuitatis meæ reputationem, & mandatorum Tuorum reverentiam aliquandiu hærens, poſtquam obſequii reſpectus potior fuit, ſubitaneâ operâ in chartas conjeci, non laudem ſed veniam audaciæ orans.

Vale, Sereniſſime Princeps, & me favore Tuo gratiaque porrò quoque digna-

CARDINALIS RICHELIEU Testamentum Christianum. Et Politicum.

Ut &

CHRISTINÆ REGINÆ Valedictio Upsaliæ dicta.

FREISTADII,
1670.

CARDINALIS RICHELIEU Teſtamentum Chriſtianum.

Catholicus fide, Cardinalis dignitate, Miniſter Regius munere, reddo rationes publicas vitæ meæ, & conſcientiam explico coram Sole, ut legi ab omnibus poſſit, quod Sol oſtendit.

De Fide mea id teſtor; Idcircò Purpuratum me credidi,

ut fidem tuerer, obſignaſſem eam libenter ſanguine, & maluiſſem hâc ſecunda Purpura rubere, quàm primâ, hanc volui eſſe cardinem vitæ meæ: Hanc ſecutus ſum Ducem & cæcam, nec tamen in me penitus cæca fuit, eo ferè attigi ingenio, quo fides prævivit. Scivi penè, quod credidi, nec tamen credidi, quia ſcivi: Pluris feci cæcam fidem quàm oculatam ſapientiam, & plus ignoranti mihi credidi, quàm videnti; Quid fecerim pro Fide Divina, teſtari poteſt fides humana, abſtuli hæreſi trecentas arces, ne eſſet rebellis; averti aliena auxilia, ne eſſet infidelis; eripui arma; ne eſſet hoſtis; emendavi mores, ut fidem corrige-

rigerem; conciliavi animos Regi, ut Deo subjicerem; tentavi libertatem, eò redegi hæresin, ut quæ vim timebat cogi jam velit. Nec minus extra Galliam Catholicus fui, primus egi cum Sueco, de religione Germaniæ, quam de libertate utriusque professus sum; Excepi Ecclesias à lege armorum, docui Politicum inire bellum, non Ecclesiasticum, si quid detrimenti passa est religio, ille non intulit, qui prohibuit: Religiosior tamen fuit Suecos intrà Germaniam, quàm Germanus intrà Mantuam: Nec magis abhorrens à fide est, inire societatem belli cum Sueco, quàm cum Anglo, cum populis li-

A 3 beris,

beris, quàm cum ſubditis R
giis; imitari, quod fecit h
ſtis, quàm facere, quod imi
tur hoſtis; Fecit prior Hiſp
nus, quod imitaretur Gallus; a
ivit hæreticos Galliæ, ego p
pulos liberos Germaniæ; en
divit ſubditos in Regem, e
populum in hoſtem; arma
pro rebellione, ego pro lib
tate; Ejus tamen libertatis ſ
pus eſt fides, idcircò in mul
adhuc hæretica ne ſit captiv
brevi futura ubique, Cath
lica, ſi fiat libera. Cardina
amavi Eccleſiam Romanam
matrem, & Gallicanam ut f
am; illius ut alumnus, hujus
Patronus; illius jura hujus p
vilegia tueri volui; Sciebi
quid Gallia deberet Rom
q

quid Roma Galliæ; mutuus & amor & alterna beneficia; Servivi utrique, dum servivi uni, quia quicquid additur Galliæ, additur Romæ. Nec nocet aula Ecclesiæ, neutra decolorat alteram, quia utraque est Purpurata; administravi Galliam, ut Ecclesiam, servivi Ecclesiæ, dum servivi Galliæ, altera est alterius cardo, nec melius utraque administrari potest, quàm à Cardinali. Hi duo Cardines vitæ meæ, Ecclesia & Gallia, Deus & Ludovicus, imò & duo Poli, quorum unum in altero aspexi; Commune fuit utriusque, obsequium, quia commune fuit utriusque præceptum. Noluisset me Gallia Ministrum, si peccas-

fem in Galliam, noluissem minister esse Galliæ, si peccassem in Ecclesiam. De me Ministro id tertium testor, volui ministerium meum Christianum esse & Politicum, conciliavi utrumque, quia me Ministrum Regis putavi & DEI, sciebam Regem Galliæ esse Ludovicum, & Regem Ludovici esse DEUM; imitari volui Divinam Providentiam, quia regnum Galliæ est regnum Providentiæ, exploravi quò præiret DEUS, huic sequi volui, inde illa felicitas mea, sub utraq; fortunâ neutra cæca fuit, quia DEUS utrique præluxit, neutra temeraria, quia prosperam fecit DEUS, & correxit adversam.

Hæc

Hæc prima virtus Ministerii mei, fides erga DEUM, & fidelitas ergà Ludovicum, de utraq; fide id asserere possum, nihil præter Ludovico nisi DEUM, utrique studui, utrumque scivi, & penè utrique credidi. Hæc duplex regula, regula vitæ meæ: DEUS revelans, & Ludovicus imperans, agnovi utrumque, ut Dominum & Magistrum, didici ab utroque, quod docerem, atque, ut essem Minister orbis, prius fui Discipulus, Minister, DEI & Ludovici: Non antecessi ergò nutum utriusque, sed exploravi; non prætuli lucem, sed accepi; agnovi utrumque, Solem esse, me stylum, accendit uterque,

 diem

diem i allicam, ego osten
diftinxt horas, ego indica
imperavit facienda, ego p
feci ; atque, ex tot labc
bus pro utraque, toleratis
hil assumo mihi, nisi meritu
fidei, & laudem fidelitat
Denique, paratus pro fide
ponere sanguinem, sæpè p
fidelitate expofui, & sem
Cardinalis, plusquam sem
purpuratus fui. Ut fidelis
sem Ludovico, imitari vo
justitiam, timeri volui,
amaretur, Ludovici,
qua id testari audeo: Pe
offendi alias virtutes, ne
fenderem justitiam, time
volui, ut amaretur Ludov
cus, severus in paucos fui,

✠

essem omnibus bonus, nullius tamen hostem me putavi, nisi esset hostis Ludovici; Amavi justitiam non vindictam, nihil egi, nisi justum, quia Ludovicus nihil imperavit, nisi rectum. De cæteris virtutibus idunum dico, amavi omnes, quia omnium ministrum me credidi, didici omnes vel docui, & dum Ludovicus omnes virtutes fecit Regias, feci omnes purpuratas, ob eam causam eminentissimus esse non renui, ut virtutes extollerem; Iccircò Cardinalem me putavi, ut eas stabilirem; propterea aulam non fugi, ut eas in aulam inducerem, inde illa sanctitas utriusque aulæ, prima Regia, altera Ecclesiasti-

ea,utraque aula virtutum fuit. Hæc de virtutibus.

De honoribus profiteor, admisi dignitates, non ambivi; Mereri eas volui prius quàm assequi, nec tamen post meritum honores admisissem, nisi ut honorem Ludovicum. Honorificum est Soli, coronari radiis, pertinet ad Majestatem Oceani, derivari in fontes, nec imminui; Iccircò Dux & Cardinalis esse non renui, ut sciret Orbis, qualis esset & quantus Ludovicus, cujus radius & rivus fuit Richelieu Et nunc eos honorum titulos æquè depono libenter, ac assumsi, ràm facilè morior Cardinalis, quàm homo, & purpuratus, ut nudus. Scivi morta-

talem fuisse me, quia scivi me esse hominem: Assuevi æternitati intrà tempus, atque ut mortem fallerem, incepi mori, dùm adhuc viverem; captus sinistro brachio, nihil sinistrum de me homine sensi, circumductus gestatorio ferculo, assuevi feretro quasi lecto; destitutus usu dextræ, deosculor dextram DEI; Vidi me per partes mori, ut discerem mori totus; Et nunc vivus & mortuus & unus testor, sub Ludovico Christianissimo fuisse me Ministrum in omnibus Christianum.

CARDINALIS

RICHELIEU

Teſtamentum.

Politicum.

Abiturus è vita, loquor vera, eo momento, quo nemo mentitur, audi posteritas verba, extra vitam prolata & viva, lege tempus ultrà tempus scriptum ne fallat; extra æternitatem, ne pereat. Electus in primarium Regis mei Ministrum, id primùm intendi, ut Regem meum facerem primum: Volui Christianissimum esse & potentissimum, volui primogenitum esse Ecclesiæ & Europæ, volui esse justum, ut sua orbi restitueret, & orbem sibi. Inveni Galliam minorem seipsâ, decreverant omnia

omnia præter linguam, hæc quoque excedebat Galliam, & erat Gallica; Populi olim subditi, negabant se esse nostros, linguâ nostrâ, Galli erant ut hostes Gallorum, armabatur Gallia in seipsam, utebatur hostis nobis, in nos ipsos, & victus, & victor Gallus erat; idem fortis in gloriam alienam, & perniciem suam. Hic igitur ministerii mei scopus restituere Galliæ limites, quos natura præfixit; reddere Gallis Regem Gallum, confundere Galliam cum Francia, & ubicunque fuit Gallia antiqua, restaurare novam. Tria se opponebant votis meis, obsistebat Hispania, quæ ex orbe facere unam domum cogitabat, si
Gal-

Galliam efficere posset partem unam domus: Obstabant finitimi populi, icircò amici Hispaniæ, qui hostes esse non poterant. Ut perrumperem hos obices conciliavi Galliam sibi, ut extrà se hostis sit, occupavi Hispaniam domi, ne esset negotiosa foris; Ostendi sociis libertatem, & coëgi aliquos etiam invitos esse liberos. Duo malè habebant Galliam, Hæresis & Libertas. Emendavit utrumque Ludovicus armis suis & consiliis meis. Primum malum adeò excreverat, ut intra unum regnum plura regna censerentur, tolerata à Regibus Religio vix tolerabat Regem Legitimum, ex ducentis arcibus securitatis, toti-

totidem effecerat propugnacula rebellionis, intrà centum urbes, centum conflarat Respublicas, intrà Rupellam in clufèrat rebellionem & feipfam : Inde imperabat mari, nectebat fœdera cum hoftibus Galliæ, partiebatur authoritatem Regiam, & ne uni Regi ferviret, pluribus regulis ferviebat.

Aggreffus hoc monftrum, quod alii Miniftri irritare metuebant, expugnavit Rupellam Ludovicus, & intrà unam urbem omnia Elementa vicit, recepit trecentas arces uno anno, & fingulis ferè diebus triumphavit. Intrà Galliam fuperavit alterum regnum, & bis Regem fe fecit, & ne quis

de

de pietate causæ dubitaret, pugnavit armis Ludovicus, & Deus miraculis. Alterum Galliæ malum erat Libertas. Amabatur Regia Dignitas, non potestas, timebantur subditi, & peccabant, ut timeri possent, emebantur obsequia, quæ gratis debebantur; redimebantur offensiones auro, suppliciis dignæ; attribuebantur pensiones, ne quis rebellis esset; Libertas erat conscientiarum & necessitas criminum, leniebatur malum muneribus, & crescebat lenitate. Ut mederer huic malo, volui amari Ludovicum, & timeri justum, volui imperium esse penes unum, & penes omnes obsequium esse; volui deberi amorem Regi,

gi, non emi; volui aurum virtutis præmium esse, non sceleris; volui fidelitatem necessariam esse, non liberam; docui obedientiam cæcam, atque hac in parte penè religiosos volui esse Francos. Post erectam Galliam, Hispania deprimenda erat, quæ tot annis Galliam oppresserat; Duæ res fundabant Hispaniæ Majestatem, consilii gravitas, & Regni potestas. Adeò sanctum erat Madri ense Consilium, ut componere illud omnes virtutes crederetur; Præsidebat religio, ut pietatem rebus prætenderet aut colorem: Assistebat sapientia, ut res futuras exhiberet, antequam essent; Comitabatur fidelitas, quæ tunc tan-

tantùm revelabat facienda, cùm erant facta. Perturbavi Madritensem sapientiam, dùm arcana detexi, occultavi res futuras, ne viderent; præoccupavi agenda, ne inciperent; objeci res factas, ne facienda decernerent; supplantavi consilia, dùm materiam subtraxi; impedivi agenda, dùm prior egi; decoloravi Madritensem sapientiam, dùm faciem deterfi; mirata est Hispania revelari arcana, quæ nondùm detexerat; evulgari consilia, quæ nondum ceperat, & fieri ab aliis, quæ meditabatur facienda; tunc primum doceri cepit artem sapiendi, quàm anteà docuerat; tunc imitari coacta est, quod invenerat; tunc mira-

mirata est, Madritum esse Parisiis, nec Parisios Madriti. Alterum Hispaniæ fundamentum erat Potentia: Una domus erat & multiplex, eadem & diversa particula mundi, & mundus minor erat, hac parte suâ: Hæc intra oriri videbat Solem & occidere: Hæc eos mundos invenerat, quos Alexander cogitabat: Hæc tribus orbis partibus, quartam adjecerat: Hæc cùm implere patriam non poterat, occupare Europam ambiebat, & ut perficeret, exhauriebat novum orbem, ut antiquum ditaret, & jam tantum metallorum profuderat, ut rarius aurum esset, ubi nascitur, quàm ubi venditur: Eo auro eme-

rat

rat Europam ferè totam, aut corruperat, amabant populi hoc metallum, vel timebant; Eo primùm amicos, mox socios, postremò servos mercabatur: Nulla ferè urbs erat, cui Hispania non commodaret, quod deinde repeteret: Nullibi tamen studiosius miscebat hoc venenum, quàm intra Galliam, quia emptam putabat Europam, si emere posset Galliam: eo auro corrumpebatur fides subditorum, tentabatur favor Nobilium, sollicitabatur amicitia hæreticorum, & quorum displicebat fides, eorum emebatur fidelitas. Ut mederer huic malo, divisi unam domum, ne major esset,

interrupi commercia, ne orbem emeret, ingressus sum domum ipsam, & inveni vacuam, dum hospes occupat alienam. Centum urbes, septem Provinciæ, aucta tertiâ suâ parte Gallia, imminuta meliori sui parte Hispania docet, quantum acquisierit Gallia, & quantum amiserit Hispania, utraque tamen tantùm recepit antiquos terminos, sed altera amisit novos. Nec tantùm restitui Galliæ fines suos, sed & affines, (quod erat tertiũ malum) deserebat Galliam socii, quia eos Gallia deserebat. Vivebant amici Hispaniæ, ne servi essent, emebantur promissis, onerabantur titulis & omnis hæc amicitiæ honestæ ser-

servitus erat : Ostendi Europæ libertatem, dùm ostendi Regem; Ostendi Ludovicum fortem, ut alios descenderet, justum, ne alienaret, amicum, ut gratis beneficus esse vellet. Ostendi Romæ asylum intrà Galliam, quod debuit orbi esse intrà Romam. Ostendi Italiæ, Galliam tuerì velle, quod dedit, non repetere; Ostendi Germaniæ, liberam, si neutra esse vellet, ostendi Electoribus, quis eligi posset, & quis eligi nollet: Ostendi Protestantibus, placere eorum libertatem, non fidem : Ostendi Catalonis, quid sperare possint subditi, si tantum impetrarunt amici: Ostendi Lusitaniæ portum in-

trà Galliam, & Galliæ portum intrà Lusitaniam. Sic correxi timorem orbis, dum ostendi, quid timeret, sic docui superare posse, quod victum est; sic ostendi orbi, præterire ætatem Hispaniæ, & redire seculum Galliæ.

Perge Ludovice, ut cœpisti, absolve victorias, quas inchoasti, ostendi, quo progredi posses, & ubi desinere, ostendi aliena nunc regna, & quondam Tua, ostendi, quid debeas Orbi, & quid tibi. Accipe librum, quem tu ipse dictasti, habes in prima parte artem belli, quam ex te Heroe desumsi; Habes in altera parte artem Pacis, quam ex Te Pa-

cifico didici, habes in tertia parte artem Regis, quam ex te Rege descripsi, habes ubique artem Ministri Politici, quem Tu ipse formasti.

CHRISTINÆ REGINÆ Valedictio Upsaliæ dicta.

Upsaliâ mense Febr. 1654.

RΕcensui vobis alias rationes meas, quæ me impulerunt, ut in consilio abdicationis meæ perseverarem. Vos scitis, eam me rem diu mecum agitasse, neque de ejus executione, ante octennem deliberationem, quicquam statuisse. Anni sunt minimùm quinque, cùm vobiscum hanc meam sententiam communicavi: & apparebat mihi jam tùm, solo vestro erga me affectu, commodisque propriis cum fortuna mea conjunctis, (sive à fortu-

na mea ſtatuque pendentibus) vos impelli cogive, ut rationibus meis inſuper habitis ac neglectis (quas improbare tamen non poteratis,) mihi repugnaretis, quandoquidem in eo conſilio, cogitationibusq; meis nihil erat, quod me dedeceret. Scitis ſeu meminiſtis, quid hac ſuper re tùm vobis dixerim, cùm magnâ mea voluptate, mihi licebat poſtremùm vobiscum colloqui. Tanto interim elapſo temporis ſpatio, nihil accidit incidit ve, quod mutationē conſilii mihi perſuaderet. Actiones omnes ad hunc finem direxi, atq; perduxi absq; ulteriore penſitatione. Hac ipſa hora, qua parata ſum, perſonam, quam in ſcena geſsi, po-
ne-

nere, atque intra scenam me recipere, nulla mihi cura, sive inquietudo, de plausu est. Scio, Scenam seu Comœdiam, quam institui, atque exhibui, secundùm communes theatri leges minimè fuisse compositam. Difficulter id, quod in ea masculum, ac virili vigore plenum esse debebat, placere poterit: id certè cuivis concedo ac permitto, ut pro suo ingenio, genioque judicare de re tota possit. Libertatem hanc nec possum cuiquam adimere, nec si possem, velim. Compertum mihi est, paucos futuros, qui in favorem meum, seu pro me judicaturi sint, neque quidquam ambigo, quin vos in istorum numero sitis. Cæteri hominum,

neque

neq; rationes meas, neq; genium meum perſpectum habent, cùm ego me nunquam aperuerim ulli, niſi vobis, atq; alteri cuidam amico, Magno Viro, reiq; totius dijudicandæ, perinde atq; vos eſtis idoneo. Satis eſt unus, ſatis eſt nullus. Reliquos inſuper habeo, ac mihi ridiculum videretur, ſi cuiquam gregalium eum haberem honorem, ut ab eo me de ſententia dimoveri paterer. Nunquam id mihi laboris ſumam, ut Apologiam iis parem, neq; unquam in magno, quod mihi quæro, otio tàm otioſa eram, ut mihi de iis cogitare libeat. Impendam illud ad vitam tràſactam excutiendam, ad emendandos errores meos, non ita

tamen, ut eorum vel me pœniteat, vel pigeat : cùm id habitura sim voluptatis, quod meminerim, & lætam lubentem & aliis benefecisse, & sine miseratione, respectuve puniviſſe eos, qui merebantur. Solatio mihi erit, nunquàm in crimen, quod vocaverim, nisi reos, & iis ipsis etiam pepercerim, qui fuerant rei. Status conservationem, rebus ac rationibus, seu considerationibus aliis omnibus prætuli, & ad ejus emolumentum retuli, contulique lubens omnia, neque quidquam habeo, quod in ejus administratione reprehendam. Possedi sine fastu atque arrogantia, dimitto absque omni difficultate. Post hæc omnia, non est, cur mihi quid-

quidquam timeatis, secura sum, neque mea felicitas, sub Fortunæ potestate sita est, felix & beata sum, quicquid deniq; possit accidere,

Sum felix tamen, ô Superi, nulliq; potestas Hoc auferre Deo - - -

Profectò felicior ac beatior sum omnib⁹, eroq; semper. Neq; anxiè laboro de illa, de qua vos mihi dicitis, Providētiā. Omnia sunt propitia, si velit illa curam sibi sumere regendorum meorū negotiorum, submitto ego me, pro ea, quam ejus voluntati debeo, reverentiā ac resignatione: sin illam meum me ductum sequi sinat, facultatem omnem intellectus, animiq;, quam dedit mihi, eo conferam, ut felicem me ac beatam efficiam;

eroque sanè tàm diu, quamdiu persuasum mihi erit, nihil mihi, neque ab hominibus, neque à Diis timendum esse. Quod reliquum est vitæ, ita impendam, ut eas mihi cogitationes familiares faciam, quibus & animum confirmem meum, & velut è portu respiciam, quibus in hac vita tempestatibus jactentur ii, qui hujusmodi cogitationibus animum non adverterunt. An in hoc tali statu digna non sum, cui omnes invideant? Certè plurimos haberem æmulos, si essent, qui meam felicitatem cognoscerent. Quod vos mihi non invideatis, & amori erga me vestro maximo tribuendum est, & merito simul meo, cùm ingenuè confitear hujus me sententiæ, sensuumque meorum partem vobis debere. Didici eos, & concepi ex vestris colloquiis speroque eos vobiscum, aliquando per otium auctiora m me atque excultura m. Certò mihi persuadeo fore, ut promissis stetis vestris, neque desinatis etiam,

in

in hac mutatione, amico ergà me animo esse, siquidem nihil earum ego rerum desero, quæ dignæ sint, ut à vobis æstimentur. Ego sanè, quocunque in statu suero, meam ergà vos amicitiam conservabo, ac videbitis vos, nullam intervenire mutationem posse, quæ ab hac sententia, quam ego mihi gloriæ duco me dimovere queat. Perspecta hæc vobis sunt omnia, eredi tisque sine dubio, maximam, quam ego de me, mesque voluntate dare vobis possim, testificationem, confirmationemque hanc esse, ut dicam me semper futuram

Christinam.

